



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

III. Asseritur veritas, & probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

Addunt SECVNDO, columna 1447. Deum impediri fabricam Iuliani, vt indicaret, sibi displicere cultum illum superstitiosum Martyrum. At si ita est, cur non impediri fabricam Galli, qui eidem Martyri operam dabat? An etiam Deum dormiuisse dicent, ac fortasè Galli fabricam non vidisse.

Mendacium SEPTIMUM est in præfatione sextæ Centuriæ, vbi dicunt, à nobis diuinis honoribus coli reliquias atque easdem etiam, ac si viuerent & sentirent, suppliciter inuocari: *Cæperunt, inquit, exanguia, & semicorrolosa coli, inuocari, diuino honore affici.* Eadem ferè habet Calanus in libro de necessitate reformandæ Ecclesiæ: *Nec solum inquit, Sanctos Christi loco adorant, sed etiam eorum vestes, calces, & simulacra.*

At quis vnquã Catholicorum reliquias inuocauit? Quis vnquam auditus est in precibus, aut litanis dixisse: *Sanctæ reliquia, orate pro me?* Et quis easdem vnquã diuino honore affecit, vel Christi loco adorauit? Nos enim reliquias quædam honoramus & osculamur vt sacra pignora patronorum nostrorum: sed nec adoramus vt Deum, nec inuocamus vt Sanctos, sed minore cultu veneramus, quàm Sanctorum spiritus, nedum quàm Deum ipsum. Ita respondit etiam ob hoc Hieronymus Vigilantio idem obijcienti: & multò etiam etiam tunc idem responderunt discipuli S. Polycarpi apud Eusebium loco antea citato, lib. 4. hist. cap. 15.

CAPVT III.

Asseritur veritas, & probatur.

NUNC ad argumenta pro veritate accedamus. PRIMUM sumi potest ab exemplis Scripturæ. Exodi 13. Moses discessurus cum populo ex Ægypto in palæstinam, noluit ibi relinquere ossa sancti Iosephi, iam dudum mortui, sed ea honorificè secum asportauit, & transtulit in terram promissionis: *Non ergo superstitiosum neq; nouum est, transferre ossa Sanctorum,* vt Magdeburgenses in singulis Centuriis clamant. Ita Deuter. ultimo, Deus ipse (vt Hieronymus contra Vigilantium

tium argumentatur) corpus Moysi honoravit, dum illud propriis manibus sepeliuit. I T E M 4. Regum 13. ossa Helisæi cum tetigissent mortuum quendam hominem, continuò illum ad vitam reuocarunt: Non ergo Deus contemnit ossa Sanctorum, sed ea honorat, & honorari cupit, dum per illa miraculum tam insigne patrauit. I T E M 4. Reg. 23. cum Iosias delubra idolorum euerteret, & omnem idololatriam delere veller, tantum abest, vt reliquias Sanctorum delendas esse existimaret, vt cum aliorum mortuorum ossa effodisset, & in cineres redegisset, ossa tamen sancti Prophetæ ibidem reperta asseruari iusserit.

A D H A E C de sepulcro Domini legimus Isa. II. *In eum* (Messiam videlicet) *Gentes sperabunt, & erit sepulcrum eius gloriosum.* Hunc locum de sepulcro Christi intelligi certum est, tum ex ipsis verbis, tum ex Apostolo Rom. 15. quod autem non intelligatur solum de sepulcro pro eo tempore, quo ibi Christus iacebat, sed etiam pro tempore futuro, ac proinde reliquias honorandas: docet Hieronymus in epist. ad Marcellam, vt migret Bethlehem, vbi docet, Isaiam prædixisse id, quod modò fit, vt sepulcrum Domini ab omnibus honoraretur. Ex quo refellitur Lutheri blasphemia, qui in libro de abolenda Missa dicit, Deo non maiorem curam esse de sepulcro Domini, quam de bobus.

D E N I Q U E, si Christus hic adesset, & nos vestem eius deuotè oscularemur, continuò nos idololatrias esse Lutherus & Calvinus diceret; at mulier Emorrhoiissa solam fimbriam Christi fideliter tetigit, & sanata est, Matth. 9. Neque Acto- rum 5. sunt reprehensi populi, qui certatim ad vmbra Petri eo modo, quo poterant, attingendam occurrebant, sed potius fidei suæ præmium retulisse dicuntur, & tamen quæ reliquiæ viliores ipsa vmbra cogitari possunt? Neque habitus sunt Act. 19. supersticiosi, qui Pauli sudaria, & semicinctia deferebant ad ægrotos, vt etiam nos modò facimus, sed potius religionem illorum miraculis confirmabat Deus.

Argumentum S E C V N D V M ex Conciliis diuersarum partium orbis terræ. Ex Oriente habemus Concilium N I C A E N V M II. act. 3. quod vocat reliquias fontes salutares, quibus Deus multa beneficia hominibus præstat; & act. 7. in vltima definitione iubet deponi Clericum, & Laicum excom-
 KKKkkk 3 muni-

municari, qui reliquias Martyrum cōtemnit, & non, vt res
sacram, cum honore tractat.

Item ex Oriente habemus G A N G R E N S E Concilium an
te annos M. CC. canone vltimo, vbi anathema dicitur, qui
memorias Martyrum, id est, loca, vbi sunt Martyrum reli-
quiæ, execrantur. Eustathiani enim, contra quos coactum
fuit Concilium, nolebant ingredi Martyrum basilicas, &
corpora Martyrum, quæ ipsi immunda putabant, venerari
viderentur.

Ex Africa Concilium CARTHAGINENSE V. can. 14. iubet
vt nulla altaria, vel memoriæ Martyrum dedicentur, nisi
sint aliquæ Martyrum reliquiæ: & aliter dedicata euertan-
tur: vel populus admoneatur, ne ea loca frequenter, vel
perstitione aliqua teneatur, si colat videlicet quasi Martyrum
sepulcrum, vbi reuera non est corpus Martyris. At si est
perstitione colere pro Martyris corpore, id quod non est esse
tale; Religio igitur erit corpus veri Martyris colere; reli-
gioni enim opponitur superstitio.

Ex Hispania habemus Concilium BRACCARENSE III.
can. 5. vbi statuitur, in supplicationibus thecam reliquiarum
gestari debere manibus Episcoporum, aut aliorum Sacerdotum,
populo præcedente & sequente.

Concilium EPAINENSE, in Gallia celebratum, canone
25. iubet reliquias Sanctorum non poni in Ecclesiis, vbi
non sunt Clerici, qui lacris cineribus psallendi frequenter
famulentur.

Ex Germania habemus Concilium MOGUNTINENSE
tempore Caroli Magni celebratum, in cuius canone 51. sta-
tuitur, ne corpora Sanctorum transferantur de loco ad locum,
cum, sine consilio Episcopi, & licentia sanctæ Synodi. quod
certè ad honorem non exiguum sanctarum reliquiarum
pertinet.

Habemus denique ex Italia Concilium LATERANENSE
sub Innocentio III. capit. 62. vbi cauetur propter periculum
fraudum, ne nouas reliquias vllus publicè venerari incipi-
piat, sine auctoritate summi Pontificis. Vnde est lex canonica,
cap. Cùm ex eo, de reliquiis, & Sanctorum veneratio-
ne; cui similis est lex etiam ciuilib, C. de Episcopis & Clericis
L. Decernimus.

TERTIO, probatur ex Patribus. EVSEBIUS lib. 7. hist. cap. 15. de sede lignea sancti Iacobi Apostoli: *Servatur, inquit, cum ingenti studio, velut à maioribus tradita memoria sanctitatis, & cum magna veneratione habetur.* Hæc ille. Nō ergo rideant Lutherani, si quando audiunt, Romæ cathedram S. Petri ligneam honorari.

S. ATHANASIUS in vita B. Antonij, scribit sibi ab Antonio relictum pallium tritum, & addit: *Legatarius Antonij benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus amplectitur, & tanquam magna hereditate ditatus, letanter per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis.* De eodem Magno Antonio Hieronymus refert in vita Pauli primi Eremitæ, cum Pauli tunicam ex foliis palmarum contextam Antonius adeptus esset, ob ipsius Pauli reuerentiam, illam induere solitum, in diebus tantum solennibus Paschæ & Pentecostes.

S. BASILIUS in Psalmum 115. in illud; *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius: Quando, inquit, Iudaicè quis moriebatur, abominabilia erant morticina: cum pro Christo mors contingit, preciosa sunt reliquia Sanctorum eius. Antea dicebatur Sacerdotibus & Deo dicatis; Non contaminabitur ex aliquo mortuo: nunc autem qui cōtingit ossa Martyris, quandam sanctificationis societatem assumit, ex gratia corpori insidente.* Et oratione in quadraginta Martyres, loquens de reliquiis ipsorum per totā illam regionē dispersis: *Hi sunt, inquit, qui nostram regionem administrant, & veluti turres quadam coherentes securitatem ab hostium incursis exhibent, non vno loco seipsos includentes, sed multis iam locis hospites facti, & multas patrias exornantes.*

Gregorius NYSSENUS oratione in Theodorum Martyrem, initio orationis: *Anima quidem, inquit, ex quo sublimis abiit, in suo loco requiescit, & corpore soluta cum sui similibus vna viuit. Corpus vero venerandū & immaculatū, ipsius instrumentum, cum multo honore, & cultu compositum atq; ornatum, in augusto, sacroq; loco situm est.* Deinde narrat multis verbis eos, qui templa Martyrum ingrediuntur, primò mirari molem ædificij, deinde parietes & pavementum pulchrè ornata, tum statuas & picturas varias, & subiungit tan-

dem: *Vbi his, inquit, oculos oblectauit, cupit deinceps ipsi conditorio appropinquare, sanctificationem ac benedictione, contrectationem eius esse credens: quod si quis etiam puluerem, quo conditorium, & bi Martyris corpus quiescit, oblitum est, auferre permittat, pro munere puluis accipitur, ac tanquam res magni precij condenda terra colligitur; nam ipsas attingere reliquias, si quando aliqua eiusmodi prospera fortuna contingat, ut id facere liceat, quam id sit multum desiderandum, & optandum, ac summarum precum donum, sciunt experiri, & eius desiderij compotes facti.*

Gregorius NAZIANZENSIS oratione prima in Iuliano paulò ante medium, reprehendens Iulianum, quòd cum Deorum falsorum monumenta veneraretur, veri Dei amicorum, & Martyrum corpora despiceret: *Non victimas, inquit, pro Christo casus reueritus es? (& aliquot interpositi quorum vel sola corpora idem possunt, quod anima sancta, siue manibus contrectentur, siue honorentur, quorum vel sola sanguinis gutta, atq; exigua passionis signa idè possunt, quod corpora. Hac non colis, sed contemnis et aspernaris, qui Herculis rogam, ex calamitate iniuriisq; mulieribus illatis extitatum, admiraris.*

Eusebius EMISSENSIS homilia de sancta Blandina: *Vbi sunt, inquit, qui venerationem sacris Martyrum dicunt defendendam non esse corporibus? &c.*

S. CYRILLVS, Episcopus Hierosolymitanus, catechesi 18. *Vt autem, inquit, non solum anima Sanctorum honoretur credaturq; quod etiam in corporibus mortuorum inest virtus, seu potentia; iacens in sepulcro Helias mortuus, mortuumq; Propheta corpus attingens, & uiuificatus est.*

Sanctus Ioannes CHRYSOSTOMVS sermone de sanctis Iuuentio & Maximo, primùm laudat eos, qui corpora illa inhumata relicta piè rapuerunt, etiam si cum periculo vite suæ. Deinde subiungit: *Idcirco sepius eos inuisamus, tumulos adueremus, magnaq; fide reliquias eorum cōtingamus; Et inde benedictionem aliquam assequamur.* Vide eundem homilia vltima in epistolam ad Romanos, vbi dicit Romam excellere omnibus vrbibus, propter corpora Petri & Pauli. Item homil. 61. ad populum, vbi comparat sepulcra & reliquias Sanctorum cum sepulcris & cadaueribus Imperatorum, & Regum.

gum, & ostendit illa summo honore coli, ista deserta & abiecta esse: & pulchrè dicit, summū honorem Constantino Imperatori fuisse, quod potuerit fieri ianitor B. Petri, quia nimiram sepultus erat ad fores eas basilicæ, vbi conditæ erant aliquæ particulæ B. Petri reliquiarum.

THEODORETUS lib. 8. ad Græcos de Martyribus: *Ac anima quidem, inquit, triumphatorum Martyrum in cælesti nūc patria vitam agunt Angelorum choris intersita: Eorum Verò corpora, non singula quidem singulis monumentis conduntur, sed ciuitates, oppida, paganiq; conuentus hac inter se sortitò partiti sunt, laborantibusq; animis, ac ægrotis corporibus salutaria ea confiteri non cessant.*

Deniq; IOANNES DAMASCENVS lib. 4. cap. 16. de fide Orthodoxa, copiosè disputat de Martyrum reliquiis venerandis.

Iam ex Latinis: S. AMBROSIVS serm. 93. de sanctis Nazario & Celso in fine: *Quod si dicas mihi, inquit, quid honoras in carne iam resoluta, atq; cōsumpta? honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro & iuentis memoriam perennitate & virtutis: honoro per confessionem Domini sacros cineres: honoro in cineribus semina aternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & demones? quod & affligerunt in supplicio, sed glorificāt in sepulcro? honoro itaq; corpus, quod Christum honorauit in gladio, quod cū Christo regnabit in cælo.*

MAXIMVS in sermone de sanctis Octauio, Aduentore, & Solutore: *Cuncti, inquit, Martyres deuotissimè percolendi sunt, sed ij præcipuè venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus.*

GAUDENTIVS Episcopus Brixie, tractatu de dedicatione Basilicæ: *Vt venerandas Sanctorū reliquias haberemus, Deus noster tribuit. deinde & hanc honori eorum basilicam fundare & aleremus, ipse largitus est, &c.* Vide totum tractatū, vbi multa de cultu reliquiarum loquitur.

S. PAVLINVS natali tertio sancti Felicis, de vrbe Roma loquens, ob reliquias Apostolorum, sic ait:

*Nam prius imperio tantum, & victricibus armis,
Nunc & Apostolicis terrarum es prima sepulcris.*

KKKkkk 5

Ibidem:

Ibidem:

Martyris ad tumulum debes & terra coronas.

PRUDENTIUS in hymno de S. Laurentio.

*O ter, quaterq̄, ô septies**Beatus Urbis incela,**Qui te, ac tuorum cominus**Sedem celebrat osium.**Cui propter aduolus licet,**Qui fletibus spargit locum,**Qui pectus in terram premit,**Qui vota fundit murmure,**Vix fama nota est abditis,**Quam plena Sanctis Roma sit,**Quam diues Urbanum salum**Sacris sepulcris floreat.*

S. HIERONYMUS in libro aduersus Vigilantium: *Dolet, inquit, Martyrum reliquias precioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proici in sterquilinum: ut solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur.* Idem in epistola ad Marcellam quâ scripsit nomine Paulæ & Eustochii, inter alia bona quæ sunt in Palæstina, numerat, posse adorare sacros cineres Ioannis Baptistæ, Helisæi, & Abdiæ, qui ibi seruantur.

RUFFINUS lib. II. hist. cap. 28. cum Gentiles tempore Iuliani ossa B. Ioannis Baptistæ apud Sebastem Palæstinæ igni cremarent: *Quidam, inquit, cum tantum nefas humanis quidem manibus, sed mente ferina fieri videret, mori gratius habentes, quam huiusmodi piaculo funestari, inter eos, qui ossa ad exurendum legebant mixti, diligentius ac religiosius congregantes, furtim se vel stupetibus, vel insanientibus subtraxere, & ad religiosum patrem Philippum venerandas reliquias pertulere, &c.* Vide eundem, lib. eodem, cap. 33.

S. AUGUSTINUS epist. 103. ad Quintianum: *Portant sancti (latores epistolæ) reliquias beatissimi & gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quam conuenienter honorare debeatis.*

Auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 73. *Sanctorum corpora, & præcipue beatorum Martyrum reliquias, ac Christi membra, sincerissime honoranda credimus.*

S. L. 50

S. LEO in sermone de S. Laurentio, de craticula eius loquens: *Nam, quid, inquit, non ad Victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transferat triumphis etiam instrumenta supplicij?*

S. GREGORIUS lib. 5. epist. 50. ad Palladium: *Quia reliquias, inquit, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, necnon Laurētij, atq; Pancratij Martyrum cum veneratione prabimus, hortamur, et eas cum reuerentia suscipere, & collocare, auxiliante Domino, debeatis.* Idem repetit epistola sequenti. Idem lib. 3. epist. 30. Constantiæ Imperatrici petenti caput S. Pauli respondet, sacrilegum esse corpora tantorum Sanctorum tangere, vel inspicere. Et ibidem narrat, multos repentina morte obiisse, quod præsumpissent ad corpora Sanctorum tangenda, vel aspicienda propius accedere; & tandem pollicetur se missurum aliquid de rasura catenarum S. Pauli, si tamen limando aliquid detrahere poterit; eam enim esse catenarum illarum conditionem, ut pro dignitate, vel indignitate petentium, aut sine mora vlla ramenta de catenis lima excutiantur, aut nihil omnino excuti possit, etiam si totis viribus quis limando laboret.

S. Gregorius TIRONICVS libro de gloria Martyrum & Confessorum, nihil ferè aliud tractat, ut superuacaneum sit aliquid inde velle decerpere. Omitto Bedam, Bernandum, ac posteriores, quod de fide ipsorum ne aduersarij quidem dubitent.

QUARTO, probatur ex miraculis factis ad reliquias, quæ certè non fierent, si Deo cultus reliquiarum non placeret. S. EPIPHANIVS in vita Isaia, Ezechielis, & Hieremjæ scribit, à plurimis coli solita sepulcra eorum ob multa beneficia, quæ in iis locis propter merita eorundem Prophetarum Deus conferebat.

S. BASILIVS oratione in Mamantem dicit, omnibus nota esse miracula, quibus Martyr aliis sanitatem, aliis vitam reddiderit. Et oratione in Iulittam scribit, cum reliquiae sanctæ Iulittæ ad quendam locum adductæ fuissent, ubi laborabatur penuria aquæ, mox è terra erupisse fontem aquæ dulcissimæ, ut videretur sancta illa, quasi mater vel nutrix communis, totam illam regionem lacte suo alere.

S. Gregorius NAZIANZENSIS oratione in Cyprianum:

Omnia

Omnia potest, inquit, pulvis Cypriani, cū fide, & sciunt hi, qui ipsi experti sunt, & miraculum ad nos &sq; transferunt.

S. CHRYSOSTOMVS in lib. contra Gentiles, de reliquiis sanctæ Babylæ Martyris: *Sententiæ, inquit, nostræ abunde fidē faciunt, quæ quotidiana à Martyribus eduntur miracula.*

PALLADIVS in historia Lausiaca, cap. 26. ad reliquias Philemonis, multa miracula facta narrat. S. AMBROSIVS sermone de sanctis Geruasio & Prothasio, & epistola ad sororē de eisdem, inter multa miracula facta refert etiam cæcū nomine Seuerum, arte lanionem, omnibus notissimum, fuisse curatum ad contactum feretri, quo reliquiæ portabantur. vbi etiam non tacet idem B. Ambrosius, Arianos impudentissimè negare ausos illa miracula, quæ totus populus videbat.

S. HIERONYMVS libro contra Vigilantium: *Tu, inquit, sapius hoc vilissimo tortus es puluere, vbi dæmonem alloquitur, qui per os Vigilanti reliquias Sanctorum, vilissimū puluerem appellauerat. & in epist. ad Eustochium de vita Pauli, narrat ad sepulcra Elisæi, & Ioannis Baptistæ, atq; Abdia, regere dæmones consueuisse: In vita Hilarionis dicit, magna quotidie signa fieri ad sepulcrum eius.*

S. AVGVSTINVS lib. 22. ciuit. Dei, ca. 8. tot miracula dicit facta ad reliquias S. Stephani breuissimo tempore, vt multi libri scribendi sint si omnia referri debeant. SVLPITIVS in vita Martini dicit, solo contactu vestis eius curatam mulierem à fluxu sanguinis. Alia id genus sine numero referri possent.

QVINTO, probatur ex miraculis, quæ sæpe in ipsis Sanctorum mortuis corporibus cernuntur, per quæ Deus aperitissimè nos ad eorū venerationem quasi inuitare videtur. S. Iohannes CHRYSOSTOMVS scribit in sermone de sanctis Iuuentio & Maximo, vultus eorum corporū ita splendere cepisse post mortem, vt non posset in eos intendi sine honore quodam, & planè tales fuisse, qualem describit vultum Stephani S. Lucas Act. 6. cū ait: *Intuebantur & vultum eius tanquam vultum Angeli.*

S. HIERONYMVS in vita Hilarionis scribit, corpus eius post decē menses adhuc omnino integrum repertum, & tantis fragrans odoribus, vt delibutum vnguentis videretur.

S. AVGVSTINVS serm. 2. de S. Vincentio dicit, corpus eius expositum feris, à coruo mirabiliter defensum: & proiectum in

in aquas mergi non potuisse. Et lib. 9. Confess. ca. 7. dicit, corpora sanctorum Geruasij & Prothasij incorrupta per plurimos annos à Deo conseruata, vt suo tempore propalarentur.

SVLPIIVS in epistola ad Bassulam Socrum, de obitu S. Martini dicit, post mortem eius in ipsius corpore glorificati hominis apparuisse figuram; fuisse enim carnem eius vitropuriorem, lacte candidiorem, vt septennis pueri decorem ostendeter. Quod idem de corpore S. Francisci refert S. Bonaventura. De S. Eduardo Rege Anglorum, qui ante annos CCCC. floruit, scribit auctor eius vitæ apud Surium mense Ianuario, anno XXXVI. ab eius obitu, inuentum esse corpus ipsius integrum, plenum succo, flexibile, ac si etiam tunc viueret, & non solum ossa & carnes in nullo lasas, sed nec pilos capitis aut barbæ, nec ipsas vestes aut calceos. Quid de corpore S. Andreæ dicemus, ex quo liquor mirificus perpetuo funditur.

SEXTO, probatur ex inuentione & reuelatione diuinitus facta Sanctorum corporum. Si enim Deo cultus reliquiarum non placeret, cur ipse seruis suis corpora Sanctorum, quæ latebât, ostenderet? Sancto Ambrosio reuelata diuinitus corpora sanctorum Geruasij & Prothasij, scribit ipse in epistola de hac re, quæ fertur in Tomis Surij. Scribit hoc idem S. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 7. EXSTAT etiam epistola Luciani in qua significat sibi diuinitus ostensa corpora sanctorum Stephani, Nicodemi, & aliorum. fuisse aut verum illud Stephani corpus, innumerabilia miracula ostenderunt, de quibus Euodius libros duos conscripsit. Et B. Augustinus serm. 91. ex nouis: *Latuit, inquit, tanto tempore corpus eius (Stephani) processit quando Deus voluit, illuminauit terras, tanta miracula fecit, mortuus viuos facit mortuos, quia nec mortuus.*

Ad hæc refert SOZOMENVS lib. 5. cap. 8. ossa sanctorum Martyrum Nestabi & Eusebij fratrum, quæ Gazenses miscuerant cum ossibus camelorum & asinorum, ne à Christianis internosci possent, sanctæ cuidam fœminæ diuina reuelatione ostensa, & ab eadem collecta fuisse. Idem Sozomenus lib. 7. cap. vltimo, refert ossa Abacuch, & Micheæ Episcopo cuidam diuinitus reuelata fuisse. Idem Sozomenus lib. 9. c. 2. refert quadraginta Martyrum reliquias diuina reuelatione inuentas.

BEDA de sex ætatibus in Martiano, refert caput Ioannis Baptistæ ab ipso Ioanne reuelatum duobus Monachis, & in Zenone scribit, corpus S. Barnabæ cum Euangelio Matthæi super eius pectore inuentum, ipso Barnaba reuelante.

SEPTIMO, probatur ex translatione reliquiarum, de vno loco ad alium, honoris gratia, ab antiquis celebrari solitas. Nec enim negari potest, quin ad honorem pertineat sanctorum ossium translationes. Prima quidem & antiquissima translatio fuit ossium Ioseph ex Ægypto in Palæstinâ, à Mose facta Exod. 13. Deinde translatio reliquiarum Petri & Pauli, quæ facta est ipso tempore, quo passi sunt, ad Catacumbas. GREGORIUS lib. 3. epist. 30. Tum eorundem corporum translatio è Catacumbis, partim ad Vaticanum, partim ad prædium Lucinæ in via Hostiensis. Cornelius Papa epist. 1. Ruffinus lib. 2. cap. 28. describit translationem reliquiarum Ioannis Baptistæ ex Palæstina Alexandrinam.

S. HIERONYMUS libro contra Vigilantiû scribit, tempore Constantini Imperatoris translatas Constantinopolim, Andreæ, Lucæ, & Timothei reliquias; & tempore Arcadij translatas ex Iudæa in Thraciâ reliquias Samuelis Prophetæ, tanto honore, vt in vase aureo ab Episcopis reliquæ portarentur, comitante tanta populorum frequentia, vt à Palæstina vsq; ad Chalcedonem iungerentur populorum examina.

S. AMBROSIVS initio exhortationis ad virgines: *Ego inquit, ad Bononiense inuitatus conuiuium, ubi sancti Martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctissimæ & gratia reseruavi.* AVGVSTINVS lib. 9. Confess. c. 7. *Cum inquit, corpora sanctorum Geruasij & Protasij propalata & effossa digno cum honore transferrentur, &c.* Chrysostomus libro de S. Babyla describit, quanto honore reliquæ Martyris translatae sint. Sozomenus lib. 7. cap. 10. describit translationem reliquiarum S. Meletij Antiocheni. Theodoretus lib. 5. cap. 36. describit translationem reliquiarum Chrysostomi. Euagrius lib. 1. cap. 16. describit honorificam translationem S. Ignatij sub Theodosio iuniore Antiochiam.

OCTAVO, probatur ex eo, quod reliquæ sub altaribus reconduntur, cuius rei meminit S. Ambrosius in exhortatione ad virgines, de reliquiis Vitalis & Agricola, & in epistola ad sororem, de inuentione corporum Geruasij & Protasij. S. Hieronymus

ronymus libro contra Vigilantium. Prudentius in hymno
 II. de coronis Sanctorum, qui est de S. Hippolyto. S. Augusti-
 nus serm. II. de Sanctis. Sozomenus lib. 5. cap. 8. & Concilium
 Carthaginense V. can. 14. Videtur autem ista consuetudo Apo-
 stolorum tempore cepisse; nam ideo Ioanni Apoc. 6. ostense
 sunt in celo anime Martyrum sub altari, quia corpora eorum
 in terris sub altaribus requiescunt, ut Augustinus insinuat lo-
 co notato. Porro ad magnum honorem pertinere hunc lo-
 cum reliquiis assignatum, docet Hieronymus & Augustinus
 locis notatis, & res ipsa hoc docet. Semper enim altaria in
 magno honore fuerunt, ita ut etiam suo modo adorarentur;
 nam Tertullianus libro de Pœnitentia, inter ritus Christia-
 norum ponit, aris Dei adgeniculari.

NONO, probatur ex usu cereorum & lampadum, quibus
 honorantur sacrae reliquiae; nam quod lumen sit honoris si-
 gnum, nec sit superstitiosum, lumen accendere ante rem in-
 animam, etiã sole lucente, patet ex candelabro, quod semper
 lucebat ante arcam testimonij, Exod. 25. Fuisse autem usum
 accendendi cereos coram reliquiis, patet ex obiectione Vi-
 gilantium apud Hieronymum: *Videmus, inquit, moles cereorum
 sole fulgente accendi, &c.* Et ex ipso Hieronymo epistola ad
 Riparium: *Ergo accensi ante tumulos eorum cerei idololatriæ
 insignia sunt?*

Item ex Constantino, qui, ut habetur primo Tomo Con-
 ciliarum in vita Sylvestri, inter alia dona, quæ obtulit sacris
 reliquiis Petri, Pauli, Laurentij, sanctæ Crucis, multa nume-
 rantur candelabra, multæ lucernæ, quæ perpetuò ardere de-
 berent: nec est credibile, Constantinum aliquid obtulisse,
 quod non esset in usu antea in Ecclesia. Præterea Theodore-
 tus in hist. lib. 5. cap. 36. testatur in translatione reliquiarum
 S. Chrysostomi, plurima accensa lumina prælata fuisse.

PAVLINVS natali tertio Felicis, describens cultum, qui
 sancto Felici habebatur:

*Aurea, inquit, nunc niveis ornantur limina velis,
 Clara coronantur densis altaria lychnis,
 Limina ceratis adolentur odora papyris.
 Nocte, dieq; micant, sic nox, splendorq; dies
 Fulget, & ipsa dies cœlesti illustris honore,
 Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.*

GREGORIUS lib. 3. Dialog. cap. 24. meminit lampadis, quæ ardebat etiam noctu, dormientibus omnibus, in templo S. Petri.

DECIMO, probatur ratione ducta ab utili, & ab honesto. Ratio ducta ab utili, est apud Chrysostomum in libro de sancto Babyla Martyre. Deus enim, ut Chrysostomus ait, nihil ferè utilius nobis reliquit ad salutem, Sanctorum reliquiis nihil enim efficacius repræsentat, & infigit in animo memoriam Sanctorum, quàm sepulcrum ipsorum. statim enim que videmus sepulcrum Sancti alicuius, recordamur illius, & virtutum eius, patientiæ, caritatis, castitatis, pietatis; & simul cogitamus quanta gloria fruatur in cælis pro labore breuissimo huius vitæ, &c.

Ratio ducta ab honesto est multiplex. PRIMVM enim corpora Sanctorum fuerunt organa animarum ad omne opus bonum. Vide Tertullianum de resurrectione carnis. SECUNDE fuerunt, & sunt instrumenta Dei ad miracula. TERTIA sunt pignora patronorum. QUARTO, sunt exuuiæ confessorum. QUINTO, sunt trophæa triumphantium. Sexto, designata sunt ad gloriam incredibilem, nimirum, ut super resurrectionem corpora sole clariora, & vsq; ad eam corporibus omnibus præsentent, ut super omnia merito collocentur. His igitur, aliisque de causis Sanctorum reliquiæ à fidelibus magni fiunt, & debito cultu honorantur.

CAPVT IV.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

EX iis, quæ dicta sunt, non erit difficile argumentum soluere, quæ initio proposuimus.

Igitur ad PRIMVM argumentum, quod ex Ioannis Wiclef ex Euangelio depromptum, respondemus, Dominum non reprehendere Iudæos, quod edificarent, vel ornarent monumeta Prophetarum, sed quod non imitarentur eos quorum monumeta ornabant, sed potius eos, qui illos occiderunt, atq; ita seipos condemnant. Sic enim exponunt eum locum ferè omnes Patres, ut Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus in cap. 21. Matth. & Ambrosius, ac Beda in cap. 11. Lucæ.

Prophetæ